



Ioannes Vual apud Glaronenses Heluetios natus & ad labores educatus fuit. Cum autem is adoleuisset, atque magna corporis fortitudine esset præditus, cum alijs Heluetijs in Italia pro Gallo pugnantibus, profectus, atq; ibidem ob præclaras uirtutes magnâ autoritatem adeptus est. Cum autem postea anno 1499 crudele illud bellum inter Maximilianū Cæsare & Heluetios oriretur, quod Sueuicum appellatum est, hic Ioannes magno animo Heluetijs adfuit, atque cum ijs in multis locis uictoriam acquisiuit. Accidit autem quandoque ut hostes, quindecim millibus equitū & peditum assumptis, ex oppido Veldkirch 25 Martij Rhenum

transirent, atque aliquot Heluetiorum pagos incenderent. Id cum Heluetiorum milites qui passim in præsidijs erant intellexissent, statim sese coniunxerunt, atque hostem prælio excipere statuerunt. In primo congressu ex Cæsareanis centum & quinquaginta interfecerunt. Cum autem multitudine hostium superarentur, septuaginta sociorum amissis sese in oppidum Vuerdenberg receperunt, atq; socijs alijs certis signis, more solito, ad arma excitatis, hosti instructius occurrere statuerunt, id quod etiam factum est. In eo conflictu Ioannes fuerat. Hic cum suorum periculum cerneret, magno animo cum ijs qui astabant proximam equitum turmam aggressus est. cum autem egregie pugnaret, atq; interim reliqui recessissent, ita ut ipse solus eo in loco relinqueretur, ipse statim fuga intercepta collem occupauit.